

III. Dives et pauper duo sibi sunt contraria : sed iterum duo sibi sunt necessaria. Nullus indigeret, si se invicem supportarent; et nemo laboraret, si se ambo juvarent. Dives propter pauperem factus est, et pauper propter divitem factus est. Pauperis est orare, et divitis erogare; Dei est pro parvis magna pensare. De misericordia ejus parva, magna nascitur copia. Fœcundus est ager pauperum, cito reddit dominantibus fructum. Via cœli est pauper, per quam venit ad Patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonii tui, quo es ligatus, compedem in hac vita resolve; ut libere ad cœlum possis accedere : abjice abs te divitiarum onera, abjice vincula voluntaria, abjice anxietates et tœdia, quæ te pluribus in annis inquietant. Da petenti, ut possis ipse accipere : tribue pauperi, si non vis flammis exuri. Da in terra Christo, quod tibi reddat in cœlo. Obliviscere quod es, et attende quod futurus es. Præsens vita fragilis est, et in mortem proclivis. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. Nolentes imus, inviti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hospitium veniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos præmittimus : quod autem rapimus, hic totum dimittimus.

SERMO CCCLXVIII¹.

De verbis Evangelii Joan. XII. Qui amat animam suam, perdet illam. *Et de verbis Apostoli, Ephes. V.* Nemo unquam carnem suam odio habuit.

I. MODO, fratres, cum divina lectio legeretur, audivimus Dominum dicentem : « Qui animam suam, perdet » illam². » Huic sententiæ quasi contrarium videtur esse quod ait Apostolus : « Nemo unquam carnem suam odio » habuit³. » Si ergo nemo est qui carnem suam oderit, quanto magis nemo est qui oderit animam suam? Multum quippe anima carni præponitur : quia ipsa est habitatrix, caro habitaculum ; et anima dominatur, caro autem servit ; anima superior est, caro subjecta est. Si ergo nemo unquam carnem suam odio habuit, quis est qui animam suam oderit? Propter hoc non parvam quæstionem nobis intulit præsens Evangelica lectio, ubi audivimus : « Qui amat animam suam, perdet illam. » Periculosum est animam amare, ne pereat : sed si propterea periculosum est, ut ames animam tuam, ne pereat anima tua, ideo non debes illam amare, quia non vis illam perire. Si autem non vis illam perire, amas illam. Quid est hoc? Si amo, perdo. Ergo non amem, ne perdam. Sed quia timeo perdere, ideo non amo; et utique quod timeo ne perdam, amo. Dicit et alibi Dominus : « Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ

¹ Alias 37, ex homiliis 50. — ² Joan. XII, 25. — ³ Ephes. V, 29.

» vero suae detrimentum patiat¹? » Ecce quia sic est amanda anima, ut lucro totius mundi praefatur; et tamen observet qui animam amat, quia si amat, perdet illam. Non vis perdere eam, noli illam amare. Sed si non vis eam perdere, non potes eam non amare.

II. Sunt ergo qui perverse animam suam amant: et hoc vult Dei sermo corrigere, non ut oderint animam suam, sed ut recte diligant. Male enim diligendo perdunt eam, et fit quidam magnum quasi praeposterum et contrarium: sed ita tamen fit, ut si diligas eam perverse, perdas illam; si oderis illam recte, conserves illam. Est ergo quidam perversus amor ejus, et quoddam rectum odium ejus. Sed amor perversus ab odio, odium rectum ab amore ejus. Quis est perversus animae amor? quando diligis animam tuam in iniquitatibus. Audi quia ab odio venit amor iste perversus: « Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam². » Odium autem rectum vide, quia ab amore venit. Ibidem Dominus secutus ait: « Qui » autem audit animam suam in hoc saeculo, in vitam » aeternam inveniet eam. » Utique quod vis invenire in vitam aeternam, multum amas. Quod enim amas ad tempus, quid prodest? Aut subduceris illi, aut subducitur tibi. Cum fueris tu subtractus, perit ipse amator: cum fuerit illud subtractum, perit quod amasti. Ubi ergo aut amator perit, aut quod amatur, non est amandum. Sed quid est amandum? Quod nobiscum potest esse in aeternum. Sed si vis animam tuam in aeternum habere salvam, oderis eam ad tempus. Ergo odium rectum ab amore venit, perversus amor ab odio venit.

III. Quis igitur modus diligendi animam? Putatis Martyres non amabant animas suas? Videtis certe modo, si cujus vita praesentis saeculi periclitetur, quomodo

¹ Matth. xvi, 26. — ² Psal. l, x, 6.

SERMO CCCLXVIII, DE VERBIS EVANG. JOAN. XII. 489
 amici ejus currunt pro ea: quomodo curritur ad ecclesiam, rogatur episcopus, ut intermittat, si quas habet actiones, currat, festinet. Quare? Pro anima. Et omnes contremiscunt, omnibus caeteris rebus intermissis, festinandum esse decernunt. Omnis festinatio laudatur, omnis tardatio accusatur. Quare? Pro anima. Quid est, pro anima? Ne moriatur homo. Non noverant Martyres amare animas suas: et tamen hoc est pro anima, ne moriatur homo. Mors hominis iniquitas est. Si curris pro hac vita centum millia, quot millia debes currere pro vita aeterna? Si festinas lucrari dies paucos, et ipsos incertos: hodie enim homo a morte liberatus, nescit utrum cras moriatur: tamen si sic curritur propter lucrum paucorum dierum, quia et usque in senectam pauci dies sunt, quomodo currendum est pro vita aeterna? Et tamen propter hanc pigri sunt homines. Difficile invenis qui vel passus lente moveat pro vita aeterna. Amor ergo perversus animae abundat, amor autem rectus valde paucorum est. Nam sicut nemo est qui non diligat animam suam, sic nemo est qui non amet carnem suam. Unde fieri potest, ut et verum sit quod ait Apostolus: « Nemo unquam carnem suam hodie habuit, » et anima non ametur? Discamus ergo, fratres, amare animas nostras. Omnis voluptas saeculi transitoria est. Est amor utilis, est amor noxius: amor amore impeditur; amor noxius recedat, et amor utilis succedat. Sed quia homines nolunt illinc recedere, ideo in illos non potest aliud introire: ut non capiant, pleni sunt; fundant, et capiunt. Pleni sunt enim amore voluptatum carnalium, pleni sunt enim amore voluptatum carnalium, pleni sunt vitae praesentis, pleni sunt amore auri et argenti, possessionum saeculi hujus. Qui ergo pleni sunt, sic sunt quomodo vasa. Vis ut intret mel unde acetum nondum fudisti? Funde quod

habes, ut capias quod non habes. Ideo prima renuntiatio est huic sæculo, et deinde conversio ad Deum. Qui renuntiat, fundit; qui convertitur, impletur: sed si non fiat corpore solo, sed et corde.

IV. Quæritur autem, fratres, quomodo crescat iste amor. Habet enim initia sua, habet augmenta sua, habet perfectionem suam. Et debemus nosse quis cœperit, ut eum ad augmenta cohortemur: quis nec cœperit, ut eum quo incipiat moneamus: quis et cœperit et creverit, ut eum ad perfectionem incitemus. Primo illud attendat Charitas Vestra: amores omnes et dilectiones prius sunt in hominibus de se, et sic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis, et sic aurum: quia si tu mortuus fueris, non erit qui aurum possideat. Ergo dilectio unicuique a se incipit; et non potest nisi a se incipere. Et nemo mouetur ut se diligit. Hoc enim non solum inest hominibus, sed et pecoribus. Videtis enim, fratres, quemadmodum non tantum ingentes bestię et magna animalia, ut sunt boves aut cameli vel elephanti, sed et muscæ, sed et vermiculi minimi quomodo nolunt mori, et diligant se. Omnia animalia mortem fugiunt. Ergo diligunt se, custodire se volunt, alia velocitate, alia latebris, alia resistendo et repugnando; omnia tamen animalia pro vita sua pugnant, mori nolunt, custodire se volunt. Amant ergo se. Incipe et aliud amare. Sed quid est ipsum aliud? quidquid amaveris, aut hoc est quod tu, aut inferius te est, aut superius te est. Si inferius te est quod amas, ad consolandum ama, ad tractandum ama, ad utendum ama, non ad illigandum. Verbi gratia, aurum amas, nolite illigare auro, quanto melior es quam aurum. Aurum enim terra est fulgens, tu autem ut illuminareris a Domino, ad imaginem Dei factus es. Cum sit aurum creatura Dei, non

SERMO CCCLXVIII, DE VERBIS EVANG. JOAN. XII. 491
tamen fecit Deus aurum ad imaginem suam, sed te. Ergo posuit sub te aurum. Amor ergo iste contemnendus est. Ad usum assumenda sunt ista, non eis vinculo amoris quasi glutino hærendum est. Non facias tibi membra, quæ cum cœperint præcidi, doleas atque crucieris. Quid ergo? Assurge ab isto amore, quo amas inferiora quam tu es: incipe amare paria, id est, quod tu es. Sed quid multis opus est? Si volueris, breviter poteris.

V. Quo ordine autem verum amorem et veram charitatem habere possimus, ipse Dominus dixit nobis in Evangelio, et evidenter ostendit. Sic enim ait: « Diliges » Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota » anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et proximum » tuum sicut te ipsum¹. » Primum ergo dilige Deum, deinde te ipsum; post hæc dilige proximum tuum sicut te ipsum. Prius tamen disce amare te ipsum: sic dilige proximum tuum sicut te ipsum. Nam si te ipsum non nosti amare, quomodo proximum poteris in veritate diligere? Putant enim nonnulli homines legitimo ordine se amare, quando res alienas rapiunt, quando se inebriant, quando libidini serviunt, quando per diversas calumnias injusta lucra conquirunt. Isti tales audiant Scripturam dicentem: « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam². » Si ergo amando iniquitatem, te ipsum non solum non diligis, sed etiam odio habes; quomodo aut Deum aut proximum diligere poteris? Si ergo vis veræ charitatis ordinem custodire, fac justitiam, dilige misericordiam, fuge luxuriam, incipe secundum præceptum Domini, non solum amicos, sed etiam inimicos diligere. Et hæc cum fideliter custodire toto corde contenderis, istis virtutibus quasi quibusdam gradibus poteris ascendere, ut merearis Deum toto animo et tota virtute diligere. Et cum ad

¹ Matth. xxii, 37. — ² Psal. l. x, 6.

istam felicem perfectionem veneris, omnes concupiscen-
tias istius mundi tanquam stercora computabis : et cum
Propheta poteris dicere : « Mibi autem adhærere Deo,
» bonum est¹. »

SERMO CCCLXIX².

De Nativitate Domini, I.

I. SALVATOR noster natus de Patre sine die, per quem
factus est omnis dies, voluit in terra habere natalem
hunc diem, quem hodie celebramus. Quisquis hunc diem
miraris, æternum mirare potius ante omnem diem per-
manentem, omnem diem creantem, in die hodierno
nascentem, a malitia diei liberantem. Adhuc mirare.
Quæ peperit, et mater et virgo est : quem peperit, et
infans et Verbum est. Merito coeli locuti sunt, Angeli
gratulati, pastores lætati : Magi mutati, reges turbati,
parvuli coronati. Lacta, mater, cibum nostrum, lacta
panem de coelo venientem, et in præsepi positum velut
piorum cibaria jumentorum. Illic enim « Cognovit bos
» possessorem suum, et asinus præsepe domini sui³ : »
circumcisio scilicet et præputium, cohærendo lapidi an-
gulari, quorum primitiæ fuerunt pastores et Magi. Lacta
eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te, qui tibi et
munus foecunditatis attulit conceptus, et decus virginitatis
non abstulit natus : qui sibi, priusquam nasceretur,
et uterum de quo nasceretur, et diem quo nasceretur ele-
git. Et ipse condidit quod elegit, ut illinc procederet ut

¹ Psal. LXXII, 28. — ² Alias de Tempore 5. — ³ Isai. I, 3.

sponsus de thalamo suo, quo mortalibus oculis posset
videri, et augmento lucis annuæ se lucem mentium ve-
nisse testari. Prophetæ cecinerunt Conditorem coeli et
terræ in terra cum hominibus futurum : Angelus annun-
tiavit Creatorem carnis et spiritus in carne venturum.
Salutavit Joannes ex utero in utero Salvatorem ; Simeon
senex Deum agnovit infantem ; Anna vidua virginem ma-
trem. Hæc sunt testimonia nativitatis tuæ, Domine Jesu,
antequam tibi fluctus substernerentur calcanti, cederent
imperanti ; antequam ventus te jubente siluisset, mortuus
te vocante vixisset, sol te moriente palluisset, terra te
resurgente tremuisset, coelum te ascendente patuisset :
antequam ista et alia mirabilia jam juvenilis tui corporis
ætate fecisses. Adhuc in manibus matris portabaris, et
jam Dominus orbis agnoscebaris. Ipse puer parvulus ex
semine Israël, et ipse nobiscum Deus Emmanuel.

II. Quæ est illa nostri generatio Salvatoris, qua gigen-
tenti Patri coæternus est, quando hanc generationem
ex virgine mundus expavit, quam pia fides agnovit et te-
nuit, infidelitas autem irrisit, superbia timuit superata ?
Quænam est illa generatio, qua « In principio erat Ver-
» bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver-
» bum⁴ » Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus
ante non silebat, quo dicto non siluit qui dicebat ? Quod
est verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora ?
Verbum quod labia nullius aperuit coeptum, clausitve
finitum : Verbum quod initium non habet ex ore loquen-
tium, et aperit ora mutorum : Verbum quod linguis
gentium disertis non fit, et linguas infantium disertitas fa-
cit. Quænam est, inquam, illa generatio, cui Pater
moriendo non cedit, quia non eam vivendo præcedit ?
Ab omnibus locorum temporumque intervallis, ab omni

⁴ Joan. I, I.

distentione spatiorum, quam vel in diebus, vel in corporibus sentire consuevimus, levemus ad eum, quantum ipso adjuvante possumus, animam nostram, si quomodo capere valeamus et natum non prævenientem qui gignit, et gignentem non subsequenter qui gignitur, Patrem et Filium: nec pariter patres, nec pariter filios, sed pariter æternos: non utrumque generantem, nec utrumque nascentem, sed alterum sine altero non viventem: et Patrem sempiternæ genuisse, et Filium sempiternæ natum esse cogitemus, si valemus; si non valemus, credamus. Non est quod hic dicere valeamus, sed tamen non longe positum est ab unoquoque nostrum: « In illo enim vivimus, » et movemur, et sumus¹. » Transcendamus carnem nostram, in qua parentes ante filios vivunt: quia ut filios possent generare creverunt, et filiis crescentibus jam senescunt. Nondum natis filiis parentes vixerunt, quia et parentibus mortuis filii victuri sunt. Transcendamus et animas nostras: pariunt et ipsæ aliquid cogitando, quod secum habent sciendo; sed possunt amittere obliviscendo, quia non habebant ante nascendo. Cuncta corporalia, temporalia, mutabilia transcendamus: ut videamus super omnia, per quem facta sunt omnia. Ascensus noster in corde est: quia et ille ad quem ascendimus prope est. Longe autem ab illo sumus, in quantum dissimiles sumus. Ascendit ergo ad eum sua similitudo, quam in nobis fecit et refecit, qua nondum perfecta, palpat infirmus aspectus, et ineffabilem candorem lucis æternæ non potest intueri. Cujus ergo fulgorem mentis acies nondum capit: « Generationem ejus quis enarrabit²? » Sed « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis³. »

III. Hanc ergo generationem, cujus hodiernum celebramus diem, hanc in qua dignatus est venire per Israël,

¹ Act. XVII, 28. — ² Isaï. LIII, 8. — ³ Joan. I, 14.

et fieri Emmanuel, nobiscum Deus in carnis infirmitate, non nobiscum in cordis iniquitate; accedens ad nos per id quod assumpsit ex nostro, et liberans nos per id quod mansit in suo: (visitavit quippe Dominus servos suos per mortalem infirmitatem, ut eos liberos faceret per incommutabilem veritatem:) Hanc ergo generationem, cujus utcumque capax est humana fragilitas; non illam quæ sine tempore manet, sinē matre super omnia; sed istam quæ in tempore facta est, sine patre inter omnia: hunc virginis filium et virginum sponsum, de incorrupta matre nascentem, incorruptibili veritate foetantem, laudemus, amemus, adoremus; ut in ejus misericordia de astutia victa diaboli triumphemus. Diabolus ad nos decipiendos corrupta foeminea mente subrepsit: Christus ad nos liberandos incorrupta foeminea etiam carne processit: qui est benedictus cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CCCLXX¹.*De Nativitate Domini, II (12).*

HODIERNUS dies ad habendam spem vitæ æternæ, magnum contulit gaudium generi humano. Primus enim homo, quo cadente omnes cecidimus, cujus ruina est mortalitas nostra, non est natus, sed factus; patre nullo, nulla matre, sed Deo operante. Hæc est hominis prima conditio, Adam de terra. Secunda conditio est hominis, qua creatur foemina de latere viri. Tertia conditio est

¹ Alias de Tempore 20.

hominis, **qua** natus est homo ex viro et foemina. Quarta conditio **est** Dei et hominis, qua natus est Christus sine viro de **foemina**. In istis quatuor conditionibus una sola nobis **usitata est**, caeterae tres non sunt in oculis carnis, sed in **fide cordis**. De terra factum hominem sine patre, sine **matre**, **non** novimus: factam foeminam de latere viri **non** novimus, lectam et auditam credidimus. Tertia illa usitata **est** nobis ipsa quotidiana, de complexu maris et foeminae **quotidie** nascuntur homines. Jam ergo erat una sine viro **et** foemina, jam erat altera de viro sine foemina, jam erat **tertia** de viro et foemina, quarta restabat sine viro de **foemina**. Sed ista quarta liberavit tres. Prima enim et **secunda** ruerunt, tertiam de ruina genuerunt, in quarta **salutem** invenerunt.

II. Exultent ergo virgines, virgo peperit Christum. Nihil in **ea** quod voverunt putent exterminatum: mansit virgo post partum¹. Exultent viduae: infantem Christum vidua **Anna** cognovit. Exultent conjugatae: nasciturum Dominum **Jesus** Christum Elisabeth maritata prophetavit. **Nullus** gradus praetermissus est, de quo non haberet **testimonium** salus omnium. Numquid enim solae virgines **ad** regnum coelorum perveniunt? Perveniunt et viduae. **Magni** meriti fuit illa vidua sancta Anna. A virginitate **enim** sua septem annos vixerat cum viro suo²; quo **defuncto** usque ad senilem aetatem pervenerat, et in senectute sancta expectabat infantiam Salvatoris³; ut parvum **videret** annosa, parvum agnosceret anicula, intrantem **in** mundum Salvatorem videret itura. Et in masculino sexu tria ipsa genera commendata sunt. Ipse Christus puer natus est: exultent pueri, continentiam

¹ Cod. Cass. 106, fol. 161. Virgo post partum, et illibata post filium. Exultent, etc. — ² Luc. 11, 36. — ³ Cod. Cass. 106, fol. 161. Octoginta gerens annos expectabat infantiam Salvatoris.

voverentes puero. Ipse vere integritatem pudicitiae consecravit, qui suae matri foecunditatem attulit, virginitatem non abstulit. Simeon ille senex diu vixerat, cujus aetas comparatur Annae; et audierat responsum, quod non esset visurus mortem, nisi prius videret Christum Domini.

III. Intelligite, fratres, quantum desiderium habebant antiqui sancti videndi Christum. Sciebant illum esse venturum, et omnes qui pie vivebant, dicebant: O si hic me inveniat illa nativitas! o si quod credo in Scripturis Dei, videam oculis meis? Et ut noveritis quantum desiderium habebant sancti, qui noverant de Scripturis sanctis virginem parituram, sicut audistis cum Isaias legeretur: « Ecce virgo in utero concipiet, et pariet » filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel¹. » Emmanuel quid sit, Evangelium nobis aperuit dicens: « Quod » interpretatur: Nobiscum Deus². » Non tibi ergo sit mirum, quaecumque infidelis anima, non tibi videatur impossibile, ut virgo pareret, virgo pariens permaneret. Intellige natum Deum, et non miraberis virginis partum. Ut ergo noveritis antiquos sanctos et justos optasse videre, quod concessum est huic seni Simeoni; Dominus noster Jesus Christus ad Discipulos loquens ait: « Multi justi et » Prophetae voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae auditis, et non audierunt³. » Multum senex iste fuit ad audiendum serus, sed ad videndum maturus. Non expectavit ut Christum audiret loquentem, quoniam agnovit infantem. Et hoc illi concessum erat jam decrepito, quasi desideranti et suspiranti et dicenti quotidie in orationibus suis: Quando veniet? quando nascetur? quando videbo? Putas durabo? putas

¹ Isai. vii, 14. — ² Matth. 1, 23. — ³ Id. xiii, 17.

hic me inveniet¹? putas isti oculi mei videbunt, per quem cordis oculi revelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, et pro desiderio suo accepit responsum, quod non gustaret mortem, nisi prius videret Christum Domini. Gestabat eum Maria mater ejus infantem: vidit ille, et agnovit. Ubi noverat quem agnovit? An intus est revelatus, qui foris est natus? Vidit, et agnovit. Agnovit Simeon infantem tacentem; et occiderunt Judæi juvenem mirabilia facientem. Cum ergo cognovisset, accepit in ulnas suas, hoc est, in brachia sua, amplexatus est eum. Portabat a quo portabatur. Ipse enim est Christus sapientia Dei, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter². Quantus ibi erat, et quam magnus, quam parvus factus erat? Parvus factus, parvos quærebat. Quid est, parvos quærebat? Non superbos, non elatos; sed humiles et mites colligebat. In præsepi dignatus est poni, ut esset piorum cibaria jumentorum. Accepit ergo eum Simeon in brachia sua, et dixit: « Nunc dimittis, » Domine, servum tuum in pace³. » Dimittis in pace, quia video pacem. Quare ergo dimittis in pace? « Quoniam » viderunt oculi mei salutare tuum⁴. » Salutare Dei, Dominus Jesus Christus. « Annuntiate diem ex die salutare ejus⁵. »

IV. Habetis ergo pueri puerum Jesum, sancti senes senem Simeonem. Si autem quæritis, ut et conjugatus aliquis vir testimonium Domino perhibeat, Zachariam considerate. Nemo ergo quærat aliud, fratres mei, Christiani fideles, aut virgo, aut vidua, aut conjugata, aut puer, aut continens, aut uxoratus: quidquid plus esse quis voluerit, non invenit quemadmodum ad Christum

¹ Cod. Cass. 106, fol. 16r. Putas hic me inveniat ista nativitas? —
² Sap. viii, 1. — ³ Luc. ii, 29. — ⁴ Ibid. 30. — ⁵ Psal. xc, 2. — Cod. Cass. 106, fol. 16r. Ideo salutare Dei se vidisse gratulando non tacuit.

pertineat. Non invenimus testimonium perhibuisse Christo adulteros, fornicatores, immundos. Et ut a talibus ei testimonium perhiberetur, ipse præstitit, ipse donavit. Non enim quisquam sanctus viribus suis. Exultemus ergo, charissimi. Ab hodierno die crescunt dies. Crede in Christum, et crescit in te dies. Credidisti? Inchoatus est dies. Baptizatus es? Natus est Christus in corde tuo. Sed numquid Christus natus sic remansit? Crevit, ad juventutem pervenit: sed in senectutem non declinavit. Crescat ergo et fides tua, robur inveniat, vetustatem nesciat. Sic pertinebis ad Christum Filium Dei, in principio Verbum apud Deum; Verbum Deum; sed Verbum carnem factum, ut habitaret in nobis. Majestas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat. In manus suas Simeon infirmitatem accepit, sed majestatem intus agnovit. Nemo contemnat natum, si vult esse renatus. Ad illum pertinuit propter nos nasci, ad nos pertineat in illo renasci: qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CCCLXXI¹.*De Nativitate Domini, III.*

I. NATUS est nobis hodie Salvator; et ideo hodie omni mundo Sol verus exortus est. Deus homo factus est, ut homo Deus fieret: et ut servus in Dominum verteretur, formam servi Dominus accepit. Habitavit in terris habitator coelorum, ut homo habitator terræ habitaret in coelis. Natus est ergo nobis Salvator, passus est diem par-

¹ Alias de Diversis 22.